

tam Regis propriis, quam auxiliariis, tam in regno utriusque Siciliae, quam extra ubicumque ab eis iter faciendum, vel morandum esse contigerit, tum etiam pro servitio triremium, et regiarum navium, et personarum in eis existentium deputatos, praevio examine, caeterisque servari solitis, approbare, et omnia parochialia Sacramenta existentibus militibus in actuali itinere, et expeditione contra hostes per eosdem administrari facere. Si autem milites in stationibus sint, praefati Capellani exhibere teneantur litteras patentes ejusdem Capellani Majoris super eorum approbatione locorum ordinariis, seu eorum Vicariis Generalibus, si praesentes adsint; si vero absentes, parochis, in quorum parochiis castra, seu stationes militum praedictorum posita sunt, a quibus licentia parochialia munera peragendi impertiri, et nullatenus, iisdem litteris inspectis, denegari possit. Matrimonia autem coram parochis loci cum interventu Capellani militum celebrentur, et quoad alia omnia Sacramenta, et functiones parochiales peragantur a parochis locorum, dummodo vocati interesse non recusent. Si autem adesse noluerint, liceat Capellano militum easdem functiones obire cum dimidia parte emolumentorum, quae de jure integra ad parochum loci spectarent; eademque omnia pro militibus stationariis praescripta, quoad milites in castris, seu fortalitiis regni non clausis existentes, et proprium parochum non habentes, omnino serventur.

XI. Eosdem autem milites, ac officiales, tempore tamen actualis expeditionis dumtaxat belli actu existentis contra hostes, a crimine haeresis, apostasiae a fide, vel per se, vel per alios absolvere, ea tamen lege et conditione, ut hujusmodi facultas in Italia, ejusque insulis adjacentibus quoad eos dumtaxat locum habere debeat, qui nati sunt in locis, ubi haeresis impune grassatur, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel sanctae Romanae Ecclesiae reconciliati fuerint.

XII. Omnibus insuper personis utriusque sexus in militaribus copiis existentibus, dum actualis expeditio contra hostes habetur, tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus, et diebus, quibus usus carniis, ovorum, casei, butyri, et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, excepta tamen quoad carnes hebdomada sancta, et omnibus diebus Veneris, et Sabbati totius anni, et servata forma jejunii, quatenus pro locorum, temporum, et personarum conditione fieri potest, praescripta in nostris litteris novissime editis sub datum Romae die 30 Maii 1741, utendi, et vescendi licentiam impendere.

XIII. Insuper triremibus, et navibus pro Regis usu ac servitio noviter constructis, tum etiam vexillis, aliisque rebus hujusmodi ad militiam spectantibus benedictionem in forma Ecclesiae solita impertiri.

XIV. Et demum omnibus supranominatis personis utriusque sexus ejusdem Capellani Majoris curae in spiritualibus commissis ab

observatione diei festi, si aliquod urgens opus in supra designatis locis, nempe in regia aula, et palatio, in castris clausis civitatis Neapolitanae, in navali, seu interiori portus parte, vulgo *Darsena*, in hospitalibus classiariorum, et militum, aliisque hujusmodi facere necesse fuerit, dispensationem, cum obligatione tamen audiendi Missam, et aliquod aliud pium opus, quoad tempus, et occupatio, et personarum conditio sinet, obeundi concedere. Illos insuper per se vel per alios ecclesiasticos viros probos, et prudentes visitare, et corrigere, atque in eosdem omnimodam jurisdictionem ordinariam atque omnia alia, quae pro bona animarum curae directione Archiepiscopi, et Episcopi, ac alii locorum ordinarii in suis respective dioecesis facere consueverunt, iis dumtaxat exceptis, quae ad exercitium ordinis episcopalis pertinent, quae in regia aula tantum, ubi Rex, et Regina, seu prorox totius regni moratur, et in Ecclesia parochiali Sancti Sebastiani ab eo, si sit Episcopus, peragi posse volumus, et constituimus, libere facere, et exercere; iisdem omnibus, et singulis a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, etiam Episcopis, et locorum ordinariis reservatis, de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint, salutari poenitentia pro modo, et gravitate culpae imposita, debitam absolutionem vel per se, vel per alios impendere, et elargiri libere, ac licite possit, et valeat, auctoritate apostolica, scientia, et potestate praedicta concedimus, et indulgemus.

XV. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quovis etiam quantumvis magno et inexcogitato, et substantiali defectu, etiam ex eo quod super praemissis solemnitates, et alia quaevis servanda, et adimplenda minime fuerint, aut ex alio quolibet capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, vel causa etiam tali, quae ad effectum validitatis praedictorum specialiter exprimenda foret, notari, impugnari, aut in jus, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aut aliud quodcumque juris, gratiae, et justitiae remedium impetrari non posse; sed illas semper et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac perpetuo observari: sicque, et non aliter per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et caesarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, et definiendi facultate, et auctoritate, ubique, et in quacumque instantia, interpretari, judicari, et definire debere, irritum quodcumque, et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis

apostolicis, necnon in provincialibus, vel generalibus conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus, necnon quibusvis Ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, atque etiam dictae Ecclesiae Neapolitanae, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis, et litteris apostolicis contra praemissa quomodolibet editis, concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia singularis forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores perinde, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omissio, et forma in illis tradita observata, praesentibus inserti forent, pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie ad effectum praemissorum scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, et declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus denique, mandamus, et decernimus, quod tam ipse Capellanus Major, quam alii supradicti de caetero nullis aliis, praeterquam supra expressis facultatibus, privilegiis, gratiis, et indultis, et quoad personas, res, loca et casus supra expressos dumtaxat respective uti valeant, nec etiam aliam ipse Capellanus Major, quam supra expressam jurisdictionem, et superioritatem in Ecclesiis, et capellis, ac personis hujusmodi habere, exercere, vel vindicare, aut praetendere, etiam vigore extensionis, seu comprehensionis, seu etiam rationis majoritatis, aut sub praetextu cujuscumque privilegii, aut indulti praesertim Leonis X aut quorumcumque aliorum praedecessorum nostrorum, seu regum, aut possessionis etiam immemorabilis, et tituli ex ea resultantis, scientia, patientia, et tolerantia quorumcumque superiorum, et ordinariorum, etiam Sedis Apostolicae, roborata, nequaquam possit. Nos enim quascumque alias facultates, exemptiones, privilegia, gratias, et indulta per quoscumque Romanos Pontifices, et praesertim Leonem praedictum, praedecessores nostros, ac Sedem Apostolicam capellae regiae, Capellano Majori, aliisque suprascriptis personis hactenus concessa, litterasque apostolicas etiam in forma brevis, aut sub plumbo, aut alias quomodolibet, et quibusvis clausis, et conditionibus desuper expeditas, motu proprio, scientia, et potestatis plenitudine paribus perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, et abolemus, ac revocata, annullata, cassa, et abolita esse declaramus, et quaecumque quasi possessionem etiam immemorabilem, et centenariam et ultra improbamus; ita ut nunquam in iudicio, aut extra allegari, aut ad effectum aliquem eis suffragari possint; salvis tamen omnibus juribus, praerogativis, privilegiis, et facultatibus in scholares, lectores, aliasque personas regiae universitatis

studiorum Neapoli existentis, tum etiam quoad causas, et personas, rectores, seu possessores nonnullorum beneficiorum, et Ecclesiarum, vel iisdem Ecclesiis inservientes, quae ad nominationem, seu praesentationem, aut jus patronatus regium spectant, ab immemorabili tempore eidem Capellano Majori, ut asseritur, competentibus, quae per praesentes neque approbare, neque eis ullatenus derogare intendimus.

Caeterum quia difficile foret, praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi fortasse opus erit, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, et praedicti Capellani Majoris sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, privilegii, indulti, decreti, mandati, declarationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo pridie nonas Julii, pontificatus nostri anno primo. P. Cardinalis Aldrovandus Prodat. Pro D. Cardinali Passioneo. Cajetanus Amatus. Visa de Curia. N. Antonellus. J. B. Eugenius.

BENEDICTUS PP. XIV.

MOTU PROPRIO.

Cum alias per nostras litteras sub plumbo, datas Romae apud S. Mariam Majorem pridie nonas Julii, pontificatus nostri anno primo, ad supplicationem carissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliae et Jerusalem cum tota terra citra pharum Regis illustris, et Hispaniarum infantis, varias et diversas facultates venerabili fratri nostro Coelestino Archiepiscopo Thessalonicensi moderno Capellano Majori ejusque successoribus concesserimus, inter caeteras, ut Capellanos, et presbyteros, juxta numerum, ac modum in iisdem litteris stabilitum, ad audiendas confessiones pro militaribus copiis tam Regis propriis, quam auxiliariis, tam in regno utriusque Siciliae, quam extra, ubicumque ab eis iter faciendum, vel morandum esse contingeret, praevio examine, caeterisque servari solitis, approbare; et omnia parochialia Sacramenta existentibus militibus in actuali itinere, et expeditione contra hostes per eosdem administrari facere, necnon eosdem milites ac officiales tempore actualis expeditionis a crimine haeresis, apostasiae a fide, vel per se, vel per alios absolvere: omnibus insuper personis utriusque sexus in militaribus copiis existentibus, tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus et diebus, quibus usus carniis, ovorum, casei, butyri, et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, exceptis tamen qui-

busdam diebus, et servata forma jejunii a Nobis præscripta, utendi, et vescendi licentiam impendere: iisdemque omnibus et singulis dispensationem ab observatione diei festi, si aliquod opus faciendum necessarium fuerit, concedere: et præterea a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam Episcopis et locorum ordinariis reservatis, de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint, salutari poenitentia pro modo et qualitate culpæ imposita, debitam absolutionem vel per se, vel per alios impendere, et elargiri libere ac licite possit et valeat, prout latius in præfatis litteris nostris continetur; quarum tenores hic pro sufficienter insertis, et expressis haberi volumus. Cum autem postea a præfato Archiepiscopo Thessalonicensi Nobis expositum fuerit, ad opportunam Sacramentorum administrationem, et procurandam animarum salutem pro militibus in actuali expeditione contra hostes existentibus, nonnullis aliis facultatibus, per se, vel per alios ecclesiasticos viros exercendis, omnino indigere; Nos animarum saluti, quantum in Domino possumus, consulere cupientes, motu simili, etc., eidem venerabili fratri nostro Cœlestino Archiepiscopo, ejusque successoribus in dicto regno utriusque Siciliæ Capellanis Majoribus pro tempore concedimus et impartimur infrascriptas etiam facultates, ad nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum duraturas, per se, vel per alium, seu alios sacerdotes probos et idoneos, et juxta formam in præfatis litteris nostris præscriptam approbatos, ab eodem Capellano Majori subdelegandos, pro militaribus tamen copiis, tam propriis dicti Regis, quam auxiliariis, in actuali expeditione contra hostes existentibus dumtaxat, non autem in hibernis, aut præsidii commorantibus, exercendas; videlicet absolvi omnes et singulas personas in iisdem copiis militaribus existentes a quibuscumque eorum peccatis, et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, non solum Episcopis et locorum ordinariis, sed etiam Nobis et eidem Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, et reservari solitis: commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvi respectively, prout et in quantum Episcopis et locorum ordinariis juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta id facere licet et permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta; necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denuntiationibus, quæ matrimoniis personarum, ad prædictas copias pertinentium, et cum illis commorantium, contrahendis præmitti deberent; concedendi quibuscumque utriusque sexus Christi fidelibus, ad præfatas copias pertinentibus, in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitate Domini nostri Jesu Christi, Paschalis Resurrectionis, et Assumptionis B. Virginis festis diebus, vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, plenariam omnium

suorum peccatorum indulgentiam et remissionem: singulis autem diebus Dominicis, et aliis quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiæ consueta: celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, et sub terra, et gravissima omnino urgente necessitate, etiam his in die, si tamen in priori missa ablutionem non sumpserit, ac jejunos fuerit; necnon super altari portatili, et non integro, seu aliqua in parte fracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum, si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis: benedicendi quæcumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aliæque ad divinum cultum pro servitio earundem copiarum dumtaxat necessaria, et pertinentia; exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit: reconciliandi Ecclesias, capellas, et cœmeteria, ac oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsæ copię consederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta, imo etiam magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, et aliis festis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato antistite non benedicta. Demum celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, etiam portatili, si aliter celebrari non possit, et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictarum copiarum, secundum celebrantis intentionem, a purgatorii poenis per modum suffragii. Cæterum cum facultates prædictæ ad animarum salutem admodum pertineant, præsentibus, et desuper conficiendas litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quoquam alio defectu notari, vel impugnari posse, sed eas validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, apostolica auctoritate decernimus. Non obstantibus quibusvis apostolicis, etiam in universalibus, provincialibus, et synodalibus Conciliis editis, vel edendis, generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, etiam motu pari, etc., concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis. — *Fiat. Motu proprio P.* — Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc., et quod aliæ dicti Capellani Majoris concessionibus et facultatibus habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in litteris, et de concessionibus et impartitione hujusmodi, aliisque præmissis, ut supra latissime extensis, et quod præmissorum omnium, et singulorum, aliorumque necessariorum major, et verior sp. et expositio

fieri possit in litteris per viam de curia, ut vocant, si videbitur, expediendis, aut sola præsentis schedulæ motus proprii Nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in

## CAPILLITIUM FICTITIUM.

Vide verb. COMA FICTITIA per totum.

## CAPITULUM.

## SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quoad ea quæ concernunt Capituli convocacionem, seu Congregationem.*

1. Capituli convocatio est facienda juxta solitum. — 2. Capituli convocatio spectat ad majorem, et digniorem. — 3. Etiam si major, seu dignior non sit in ordinibus sacris constitutus, nec votum habeat, adhuc ad eum spectat convocare Capitulum, proponere negotia decidenda, et suffragia collegialium votantium colligere. — 4. Aliquando convocatio Capituli ex consuetudine potest spectare alternatim ad duos. — 5. Per hoc, quod convocatio spectet ad majorem, seu digniorem, non est refrenatum arbitrium Capituli illud congregandi. — 6. Convocator Capituli non tenetur explicare materiam convocacionis in ipsa convocacione. — 7. Pro convocacione Capituli non requiritur licentia Episcopi, si solitum sit sine illa congregari. — 8. Et ubi est solitum congregari absque licentia Episcopi, is non potest, multoque minus ejus Vicarius prohibere absque justa causa, ne convocetur Capitulum. — 9. Secus autem, si adsit justa causa. — 10. Imo si prohibuerit ex justa causa v. g. ne Capitulum convocetur tempore divinorum officiorum, potest Episcopus etiam sine adjunctis procedere ad subtractionem fructuum, et ad mulctas ab eo impositas contra Canonicos habentes Capitulum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi aliqua causa urgens in aliud tempus differri non patiatur. — 11. Non potest tamen Episcopus cogere Canonicos ad sibi significandum, quid tractare velint in Capitulo. — 12. Quamvis possit ipse Episcopus cogere capitulares ad sibi exhibendam copiam actorum, seu resolutionum capitularium. — 13. Episcopus potest congregare Capitulum pro casibus, in quibus juxta sacros canones tenetur exquirere ejus votum, vel consilium, et in aliis casibus spectantibus ad sui dignitatem. — 14. Non potest tamen Episcopus convocare Capitulum pro actibus capitularibus, qui spectant ad Capitulum, uti Capitulum. — 15. Vicarius generalis Episcopi, sive præsentis, sive absente Episcopo, in nullo casu potest convocare Capitulum exemptum. — 16. Secus autem est dicendum de Capitulo non exempto. — 17. Exstante legitima consuetudine, ut Episcopus, seu Vicarius interveniat in omnibus Capitulis, etiam quæ fiunt pro re spectante ad Capitulum, debet illa servari. — 18. Quamvis tamen ex consuetudine, seu alio jure speciali Episcopus, seu Vicarius possit intervenire in Capitulis omnibus, non potest tamen, nec Episcopus, nec Vicarius intervenire, si in Capitulo agendum sit de interesse proprio, seu suorum. — 19. Et dato, quod Episcopus congregaverit Capitulum, et rem proposuerit, ubi agitur de suo, vel suorum commodo, debet exire, et relinquere Canonicos de Capitulo solos, ut ipsi libere rem discutiant. — 20. Hujusmodi tamen interesse debet esse speciale proprium, vel suorum, non autem ratione Ecclesiæ, in quo casu, sicut posset esse judex Episcopus, vel Vicarius, ita pari ratione non sunt repellendi. — 21. Ubi autem Episcopus, seu Vicarius juxta solitum, seu consuetudinem Capitulis intervenit, non potest ferre suffragium. — 22. Dato autem, quod Episcopus, seu Vicarius esset Canonicus, tunc posset quidem ferre suffragium, sed unicum tantum ut Canonicus. — 23. Episcopus in casibus, in quibus convocatur Capi-

judicio, et extra illud, regula quacumque contraria non obstante.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem IV idus Novembris, anno secundo.

tulum, debet in eo præsidere cum omnibus prærogativis. — 24. Episcopus interveniens Capitulo non illud congregando, seu convocando pro rebus ad suam dignitatem pertinentibus, sed solum ratione consuetudinis interveniens Capitulis, quæ congregantur a capite Capituli, pro rebus et negotiis ipsius Capituli, habet præminentiam loci, et prærogativas horologii, et tintinnabuli. — 25. In actibus vero concomitantibus ipsum Capitulum, tales prærogativæ spectant ad caput Capituli, et non ad Episcopum, nisi etiam actus præfati ex consuetudine spectent ad Episcopum. — 26. Episcopus, qui est Canonicus, sive in Ecclesia suæ propriæ diocesis, sive in Ecclesia alienæ diocesis, sive in Ecclesia exempta, non potest uti Canonicus convocare Capitulum, vota recipere, et similia, sed hæc spectant ad caput Capituli. — 27. Episcopus autem, etiam titularis, licet interveniat Capitulo, et aliis functionibus capitularibus, uti Canonicus, habet præcedentiam, et præminentiam super omnes Canonicos et dignitates. — 28. Capitulum convocari, seu celebrari debet in Ecclesia, et loco ad hoc determinato. — 29. Nec Episcopus potest domi suæ illud convocare, sed ad aulam capitularem, ubi antea solitum fuit convenire. — 30. Potest tamen Capitulum ad alium locum transferri, et convocari, quando non potest conveniri in Ecclesia, vel loco capitulari. — 31. Et inter alias justas causas transferendi Capitulum ad alium locum, justa causa est repulsio Episcopi ab ingressu in civitatem, vel rebellio contra ipsum Episcopum. — 32. Capitula, seu tractatus, et congregationes, ac actus capitulares per Canonicos cathedralium, et collegiarum Ecclesiarum fieri non debent eo tempore, quo celebrantur divina officia. — 33. Capitulum Ecclesiæ cathedralis quid. — 34. Quod olim presbyterium, id Capitulum hodie sibi vindicat. — 35. De origine Capitulorum. *Remissive.* — 36. Ut Capitulum jure suo expleat negotia, quatuor conditiones concurrere debent. — 37. 42. Quænam requirantur, ut Capitulum legitime convocatum dici possit. — 43. 46. De modo convocandi Capitulum. — 47. 49. De loco Capituli. — 50. Quo tempore convocandum sit Capitulum. — 51. 56. Quam convocandi sint ad Capitulum. — 57. 58. Quomodo negotia capitulariter expediantur. 59. 63. De consensu Canonicorum præstando in Capitulo. — 64. 65. Num ad convocacionem Capituli extraordinarii debeant Canonici ei, qui jus habet convocandi et præsidendi, negotia pandere, propter quæ convocatio illa desideratur.

ARTICULUS II. — *Quoad ea, in quibus requiritur consilium, vel consensus Capituli.*

1. Capituli consensus requiritur: primo in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quæ ad cathedralem Ecclesiam pertinent. — 2. Secundo requiritur Capituli consensus in administratione honorum, et reddituum Ecclesiæ. — 3. Tertio requiritur Capituli consensus in suppressione canonicatum, et beneficiorum. — 4. Quarto requiritur Capituli consensus in unione unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, seu dignitati, vel præbendæ per Episcopum faciendæ. — 5. Quinto requiritur Capituli consensus in casu, quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas. — 6. Sexto requiritur Capituli consensus in omni negotio, quod concernat præjudicium Ecclesiæ cathedralis. —